Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31243
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

adultimum humiliauit ut ab ultimo omnis eleuaret. in quem
sperare didici. de quo meliora presumerem. Si enim ad
sacri muneris officium me indignum uocauit quanto magis
si in ueritate seruiuit possum sperare mercedem. Bonus
enim et iustus est dominus. nouit mercedem soluere pro meritis singu-
lorum. Diues munerum largus gratiarum. haud quaquam
parcus beneficiorum qui me quoque infirmum supra me-
ritum meum multa conferre dignatus est. Cuius miracula
eo prouocare uos debent ut laudetis auctorem. Neque enim
ego mea uirtute hec faciebam. sed in nomine domini ihesu
impetrabam. non imperabam. non enim sum christus. sed seruulus christi. nec
ego arbiter sed minister. et ideo pacato cursu ammoneo.
Hec ergo cauete ne cum uideritis datam in me esse homi-
ni potestatem. suppliciisque me deditum fides uestra minuatur.
ego enim uoluntatem domini mei impleo. et equum est me
uelle quod dominus iubet. nam si pro nobis ille mortem suscepit. quan-
tomagis nos erga domini uoluntatem corporis huius mortem ti-
mere non debemus. cum presertim mors ista non sit interitus.
sed solutio corporis. ideoque non rogo ut mortem differam. Cre-
ditis enim quod possim differre si uelim. sed rogo magis
ut citius absoluar. et proficiscens uideam illum decorem et mi-
sericordie qui pro operibus et laboribus quibus desudaui libera-
lis dominus premium representauit. Hec cum dixisset receperunt
se omnes ad tenebrosam domum. Dixit autem thomas. Do-
mine ihesu qui pro nobis plurimum pertulisti. claudantur ia-
nue iste sicut clause fuerant. et signacula hisdem foribus
reformentur. Relictis igitur aliis prexit ut includeretur. Fe-
mine autem non poterant se a lacrimis temperare. que scie-
bant quod mesdeus non abstineret ab eius nece. Cum uenis-
set autem apostolus et inuenisset custodes inter se certantes et
dicentes. quemadmodum incidimus in istum magum. ecce ape-
ruit ianuas artibus magicis. et omnes uoluit hos fugare
et clausi sunt. Unde ne magicis istis carminibus elaba